



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1663. usque ad annum 1674

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1780**

**VD18 90119193**

§. 51. Leves simultates Papam inter & Franciæ Regem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67332)

quem reddidisset, si tamen veritatis, Sæc. XVII. A. C. 1671.  
 quæ huic Præconi deerat, fundamen-  
 tum facundo verborum profluvio sup-  
 pleri posset, mox igitur Portu-Regien-  
 ses Claudio vastum volumen opposuere,  
 ac molesto huic Declamatori os obtu-  
 rare tentabant, ipsius Parlamenti au-  
 thoritatem implorantes: nec illud eo-  
 rum postulatis defuit, sed promulgato  
 edicto Bibliopolis interdixit, ne Claudii  
 librum cum præfixo approbationis te-  
 stimonio venderent, sed illico appro-  
 batio a duobus aliis Prædicantibus  
 facta deleteretur, ac deinceps Prædican-  
 tes omissa approbatione, duntaxat in  
 suis libris testari possent, quod in illis  
 nil suæ sectæ contrarium reperiatur.  
 Demum vero P. Nouet, Antecurtius,  
 aliique Catholici Scriptores validius  
 Claudii scripta impugnarunt.

## §. LI.

*Leves similtates Papam inter & Fran-  
ciæ Regem.*

Postquam Petrus de Arragonia Hispa-  
 nus Orator die vigesima sexta Ja-  
 nuarii nomine sui Regis Clementi X.  
 summo Pontifici filiale homagium ex-  
 solverat, pariter Comes Uladislaus Me-  
 litensium Legatus Romam venit, promp-  
 tum auxilium contra Turcas petiturus.  
 Eapro-

Theatr. Ew  
rop. t. 10.pag. 573.Chron. Hista  
cont. l. 9.

Sæc. XVII Eapropter Papa in Gallias & Germaniam suos Legatos decrevit, ut Principes Christianos a novo bello inter Gallos & Hispanos eorumque foederatos agitato averterent, & ad socianda arma contra Turcas sollicitarent: insuper Pontifex ex Francipani Comitis bonis in Ditione Pontificia sitis quinque centena aureorum millia in Turcarum bellum impendere decrevit, vehementer obluſtante Cardinale Hassæ Landgravio, qui has pecunias nequam ad Pontificium, sed ad Cæsareum fiscum devolutas propugnabat: Postea Pontifex die vigesima sexta Maii habito Purpuratorum Senatu quosdam Romana Purpura decorare decreverat, ob importunos tamen eorum, qui nullum in preſtando officium intermittebant, motus tum a proposito destitit; Galli enim Casparem Estræum Laudunensem Episcopum, Hispani vero Nidhardum Purpuratis accenseri, tanta animi contentione postularunt, ut publicis etiam scriptis sese invicem laceſſerent, & Franciæ Rex Estræum fuisse neglectum indignatus, Apostolicum Papæ Nuntium alloquio arceret: Sub idem tempus ipsemet Estræus Romam venit, summo Pontifici nuntians, quod Franciæ Rex proximo Vere Batavos terræ marique debellaturus esset. Ex hoc

nuntio ingentem lætitiã conceperat Sæc. XVII. A. C. 1671.  
 Pontifex, eoquod hanc Provinciam, hucusque omnium hæresum collaviem, tandem rursus Ecclesiæ Catholicæ aggregandam speraret: interim vero Franciæ Rex denuo Estræum ad Purpuram evehi petebat, tergiversante autem Papa, Vindocinenses Principes minitabantur, quod Rex Castrum & Roncilionem emere, & transactione cum Parmensi Duce inita utramque ditionem a Pontifice repetere vellet: Verum Clemens ejusmodi minis haud territus, dilata Cardinalium inauguratione, duntaxat Nidhardum Edessensi Archiepiscopatu decorabat.

§. LII.

*Quinque Beati a Clemente X. Papa Sanctorum Albo adscripti.*

Auspicabatur Clemens X. Pontifex Maximus suum Pontificatum apotheosi Bull. magna Clem. X. tom. 6. quinque Beatorum, quos hoc anno Sanctorum honoribus esse colendos solemni ritu ac pompa declaravit. Hi fuere Beatus Cajetanus Thieneus Fundator Clericorum Regularium ab Urbano VIII. Beatorum Albo insertus, Philippus Benitius ex Ordine Servorum B. V. Franciscus Borgia ex Societate a præfato Pontifice inter Beatos relatus.  
 Ludo-